2

GUERNERI ROLFINCII,
PHIL. AC MED. DOCTORIS ET PROFESSORIS PUBLICI,

AD

CHIMIAM IN ARTIS FORMAM REDACTAM,


ILLUSTRANDAM

BREVES NOTÆ,

publicæ ventilationi expositæ,

EODEM

PRÆSIDE,



à

LUCA SCHRÖCKIO, AUGUSTANO,

In Auditorio Medicorum,

Ad diem Februarii.

JENÆ,

Ex Officinâ SAMUELIS KREBSII.

ANNO M DC LXIX.

LIBER I,

De constitutione chimiæ in genere, agit de prolegomenis, quæ constant procemio, definitione & hypothesibus.

SUmmam chimiæ eminentiam ponderantes reipublicæ medicæ proceres antecessores ENCOMIA ejusdem propalare operæ duxêre pretium. Cespitat, *ajunt*, sine chimiâ ars nostra. Eâ in effœtâ hac mundi senectâ & hominum intemperantiâ carere non possumus. Sine eâ medicina exilem possidet majestatem. *Dignitas adstruitur principiis extrinsecis,*

RATIONES adducuntur speciosæ. Prima deducitur ex veritate fundatâ in ratione & experientiâ. Quæ argumenta habitum medicum in animo artificis medici habere locum testartur, ea confirmant etiam habitum chimiatricum. *intrinsecis.*

2. Adseritur ejus dignitas à fine optimo, qui est humanum genus multis beneficiis ornare. Fraudis nescia chimia omnia agit bonâ fide: ægros sublevat consiliis & auxiliis. SALUS POPULI, dicit, SUPREMA LEX ESTO. Magna sua beneficia summi numinis exemplo & imitatione liberali dispensat manu, omnibus amica, nulli injuria, erga omnes misericors.

3. Operationis subjectum artem commendat, nimirum humanum corpus, &

4. Cultorum eminentia. ROBERTUS Neapolitanus & EDUARDUS Angliæ Reges, ejus Professores summo habuêre in pretio & familiares. Imperatoris RUDOLPHI sacratissimæ memoriæ studium & laboratorium notum est. Serenissimi

FRIDERICI Ducis Holſatiæ immortalis memoriæ Herois, & CHRISTIANI ALBERTI filii amor videndi Athenæos ignes toti mundo eſt perſpectus.

5. Neceſſitas admirabilem reddit eam, &

6. Commodorum amplitudo amabilem.

7. Origo ipſi dat ſplendorem. Antiquiſſima eſt. Deus prima animæ Adami inſevit fundamenta. De τοῦ εἰ ἔστι non dubitandum.

Habitum talem DARI, & in intellectum humanum cadere, teſtatur ἀνάλυσις, ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν πρὸς ἕξιν *ab actionibus ad habitum* deductâ argumentatione.

Cultores, Ἡ εὕρεσις *inventio* prima debetur *Paracelſo*, *σύστασις καὶ ἑρμηνεία conſtitutio & interpretatio Severino, Crollio, Guinterio Andernaco, Quercetano, Libavio, Stephano Clavio, Daviſſonio.* Hippocrati & Ariſtoteli aliqualis cognitio principiorum tribui poteſt.

tyrones, Οἱ μανθάνοντες εἰσαγωγικοὶ, *tyrones* ad habitum chimicum acquirendum debent eſſe inſtructi 1. *naturali* quadam propenſione. 2. διδασκαλίᾳ *doctrinâ.* 3 ſtudiis apto loco. 4. inſtitutione à puero. 5. labore indefeſſo. 6. exercitatione. 7. tempore.

profecti. Οἱ δὲ προηγμένοι *provectiores* χημιατροὶ eò anniti debent, ut valeant autoritate, pietate, bonitate. Apertum & candidum debent habere animum, non avarum. Fortunam à Deo expectent. Non utantur ſolis remediis Paracelſicis, ſed etiam Græcorum & Arabum. Non ſolùm utriſque uti, ſed & componendi modum noſſe, eademque diſpenſandi licentiam habere debent. Poſſeſſio tuetur jura medicorum. Alienatio cum conſenſu unanimi medicorum & ſequior adjudicatio probari non poteſt.

Objectio Objiciunt quidam: Οὐχ οἷόν τε πάντα μόνον ἐργάζεσθαι τὸν ἰατρόν. *Impoſſibile eſt, medicum omnia ſolum perficere.* 2. Diſſuadet evitanda in medico ſuſpicio captati *lucri injuſti.* 3. & *pharmaci imprudenter vel nocenter exhibiti.*

reſolvitur. Reſponſio non eſt difficilis.

Definitio DEFINITIO τὸ τί εἶναι explanat.

nominalis, NOMINALIS docet, Græcianos veterem vocabulum hoc ignorare. *Suidas* recentior, Arabibus poſterior ſcribit χημεία. Uſus ratione χημιατρεία dicitur.

Duplex

Duplex est vocabuli hujus acceptio. Tribuitur universali medicinæ, quam πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι δὲ γινώσκουσιν, & particulari.

REALIS definitio talis esse potest: Est ars corpora con- *realis.* creta resolvendi, & soluta coagulandi, ut purum ab impuro separetur, & medicamenta salubria, citæ, & jucundæ operationis exinde concinnentur, ad sanitatem introducendam commoda.

Artem esse comprobatur ex hujus, quæ ipsi competit, de- *Artium est ex numero.* finitione, *6. de moribus cap. 4.* proposita. Ἡ τέχνη ἐστὶν ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική, *ars est quidam habitus recta cum ratione effectivus.*

Censores rigidi inertiæ stigma ipsi inurere malunt. Ἡ δ' *Dubitatio* ἀτεχνία τοὐναντίον, μετὰ λόγου ψευδοῦς ποιητικὴ ἕξις, περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. Hæc *philosophus lib. 6. de moribus cap. 4. Inertia è contrario habitus cum falsa ratione effectivus, circa id, quod aliter esse atque aliter potest.* Falsa cum ratione plurima efficiuntur in chimia, & inde artis indolem exuere, inertiæ autem vestem induere, planeque negligi debere videtur. Confirmari id potest exemplo medicinarum universalium, panacearum, & particularium ☉ & ☽ potabilis, tincturæ ♁, coralliorum, & aliarum, quarum manca cognitio adeoque incerta usurpatio. Cupidi discendi adsidui etiamnum sunt in his laboribus: raro inveniunt naturam sine velo loquentem, sæpe plane tacentem. Inanis videtur opera omnis, ita ut nemo non confiteri cogatur *cum primo medicinæ parente:* Ἐγὼ μὲν ἰητρικῆς εἰς τέλος οὐκ ἀφῖγμαι. *Ego ad finem artis non perveni.*

℞. Vera sunt hæc. Medicamenta plurima non pos- *resolbitur.* sident in centro, quod promittunt in fronte. Tincturæ ☉, ☽, ♁, coralliorum fallaces. Multæ compositiones aliæ ♂, mercuriales, ♁, dubiæ sunt fidei, & infirmis sæpe nituntur fundamentis & experimentis. Cespitant etiam peritissimi, nec veritatem semper ob improportionem intellectus & objectorum in profundo delitescentium puteo adsequuntur. Ἡ κ[illegible]εια *curiositas* erroris soror multos temeraria nova proponendi impetu rapit ad mendacia amplectenda. Φιλαυτία seu οἰησι-φία *amor sui, præsumtio & vana scientiæ professio in omnia du-*

 dum

dum scire multis imponit. Φιλονικία καὶ τὸ αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων *amor victoria & eminentiæ supra alios* multos præcipitat. Hinc tot dissensionum portenta. Inertia tamen arti toti imputari nequit.

Ars chimica certis nititur hypothesibus.

HYPOTHESES chimicorum TRES sunt. Dici possunt αἰτήματα POSTULATA, cùm quidam sint, qui illas negent.

PRIMÆ sunt principia τῆς ὑποστάσεως seu τῆς ὀυσίας *constitutionis, essentiæ, rei, quæ rem constituunt*, numero quinque: TRIA
1. nobiliora, 🜔, 🜍, ☿, DUO ignobiliora, 🜄 & 🜃. Illa magnis honorum præconiis ab iisdem indigitantur, hæc iniquis phlegmatis, terræ damnatæ, capitis mortui titulis onerantur. Notum omnibus est, phlegma & terram habere aliquem usum. Placet deliciari in affectatis nominibus. Non inferunt omnem utilis negationem aut privationem, sed comparationem. Innuere solùm volunt, priora in generationem morborum esse animosiora. Admitti possunt non ante, sed post elementa. *Nonnulli* appellant prima mista. Protestantur chimici, se non intelligere 🜔, 🜍, ☿, usualia, & tamen cùm de actuali vel potentiali inexistentiâ principiorum sermo est, de vulgaribus sæpè loquuntur autores. Sive actu statuantur inesse mistis, sive potentiâ, res eodem recidit. Curatio inde non variatur.

2. SECUNDAM hypotheseωn classem constituunt principia τῆς ἐπιστήμης *scientiæ* seu cognoscendi, quæ sunt ὅροι καὶ ἀξιώματα, *determinationes* à sensu, ratione, indeque orta fide, quam à se ipsis habent, & conclusioni adferunt. Et talia absolutè rem non constituunt, sed sunt causæ τοῦ συμπεράσματος. Consistunt in analogiâ macrocosmi & microcosmi. Admittitur analogia attributionis, non univoca, quæ est identitas ὀυσιώδης, non enim verè in homine & realiter est napellus, ☍, sed similitudo solùm quædam.

3. TERTIAM classem constituunt principia CURANDI, quæ consistunt in similitudine. Admittuntur ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον. *Similitudo* admittitur. Contrarietas non excluditur. Conciliationem præbet Galenica distinctio duplex: I. Per contraria fit curatio primò & per se, secundario fieri potest per similia. II. medicamenta, quibus curationis opus absolvitur, semper sunt contraria facultate, potentia & actu, similia esse possunt ima-

gica,

ginatione & ſenſu. Contraria ſunt operatione, ſimilia poſſunt eſſe denominatione.

LIBER II,

de mediis, nimirum de operationibus in genere, & earum cauſis.

DElineationes ſunt variæ. Vix datur perfecta. Rarò una differentia eſt extra eſſentiam alterius. *Cauſarum*

CAUSARUM ACTIVARUM prima eſt Ignis. Τȣ̃ πυρὸς *activarum*
φύσις ἰδιοτάτας, *verba ſunt Ereſii libro de igne,* ἔχει δυνάμεις τῶν 1.
ἁπλῶν. *Ignis natura omnium ſimplicium ſingularibus, maximè pe-* *Ignis.*
culiaribusque POTESTATIBUS *eſt prædita.*

MATERIA ignis ſunt lignum & carbo. Mollia ex abiete & piceâ citius accenduntur, citius extinguuntur. Dura ex quercu, fago, tardius accenduntur, tardius extinguuntur. 2.

AER operationes juvat, ut calidus, frigidus, humidus, ſiccus. 3.

TERRA additur ⊖li in ſpiritûs deſtillatione. 4.

MENSTRUUM non datur univerſale, particulare tantùm. Menſtruum ſolvendo ſimile eſt ſubſtantiâ & genere, contrarium δυνάμει virtute & actione.

PASSIVÆ cauſæ laboratorium & furnus.

GLUTEN à Roberto Boile in novis experimentis, no. 10, propalatum egregium eſt.

℞. *calcis vivæ optimè & ſubtiliter pulveriſatæ,*
Raſpatum caſei pinguioris medullæ.

In mortario ſimul cum piſtillo contrita irriga modicâ aquâ. Omnibus concorporatis fiat paſta. Tum miſtura ingratum naribus exhibet fœtorem.

UTENDI MODUS. Hæc citrà moram, ſuprà linteum extenſa & diſpanſa dum recens eſt, applicanda vitro.

LIBER III,

de effectis & operibus chimicis, in ſpecie de liquidis deſtillatis.

AQUA-

Aquæ [illegible]

AQUARUM destillatarum plurimus in medicinâ est usus. Instrumenta, per quæ fit destillatio, vitrea, terrea optima. PLUMBEA nocentia. Saturnus noxiam imprimit qualitatem, & communicat cerussam, quam diutius aquæ si stent, deponunt ceu furtivum pignus, eâque vitri pavimentum incrustant. Ulcerationes dysentericas etiam intestinis minantur.

Minus noxia sunt cuprea stanno obducta.

SIMPLICES vegetabilium, quamvis non habeant qualitatem prædominantem, virtutesque corporum, è quibus eliciuntur, rejiciendæ tamen non sunt.

Zwelferus aquas destillatas admittit, sed sine additione aquæ fontanæ, solùm per balneum paratas, exceptâ aquâ cinnamomi.

Ex succis vegetabilium per vitreum alembicum destillatæ fiunt meliores.

Ex herbis sale volatili præditis, ut cochleariâ & nasturtio aquatico, exstillatæ sunt efficaciores, & simplicium suorum retinent antiscorbuticam efficaciam.

Destillatæ aquæ non sunt meliores decoctis.

Minus putrescunt aquæ destillatæ, quia sunt aëreæ, quàm simplices.

Mistæ salibus propriis exaltantur in virtutibus.

Destillatarum aquarum aliæ sunt calidæ, aliæ frigidæ, quædam temperatæ.

VARIÆ sunt. Ex HERBIS *acetosæ, cichorii, scordii, chamædryos*, in digestione cum ⊖ & ♀ maceratis, post affusâ aquâ fontanâ per vesicam destillantur.

AQUAS *rosarum* celeberrimæ famæ. Odoratiorem aquam præbere silvestres *nonnulli* putant, quia sunt sicciores. Sed & odoratæ domesticæ magnam spem præbent.

Aqua *violarum* fragrantior fit additâ radice iridis florentinæ, *rosarum* ligno rhodio.

Rosæ optimam præbent aquam madidæ rore inter auroræ rosas, ad primos nascentis solis radios expirante. Exaltat gratiosus hic aëris & lunæ [illegible] dulcedine dives filius.

▽ *violarum* pectorales exaltantur injectione radicis iridis Florentinæ. Æstate colorentur floribus violarum recentibus, hyeme

hyeme ficcis vel tornâ folis, ad violaceum colorem, adjecto modico ⊕li spiritu, ad rubrum.

SPIRITUS ex iisdem vegetabilibus & aliis destillari possunt, simplices & compositi, cum vino vel 🜋. *Spiritus*

Vinum nequam, vinum mortuum, cui multum nequitiæ inest, concipere genituram filamentorum, quæ pisciculorum alborum more ipsi innatant, notum est. Non solùm in circumferentiâ vasis stannei aut vitrei apparent, sed etiam in medio, imò totum vas replent ubique. Observantur 1. sine adminiculo per se. 2. Majores apparent ope radiorum ☉ & luminis. *aceti,*

Vivos esse vermiculos declarat autopsia per microscopium. Præditi sunt capite, & pinnulis per dorsi longitudinem excurrentibus, & caudulâ. Motus adest piscium æmulus. Per chartam bibulam factâ filtratione lateribus adhærentes, adhuc per aliquod temporis spatium se movent, tandemque flaccidi concidunt. In filtrato aceto post aliquot horas iterum apparent.

Spiritus ⊕li, ⊖, ♁ris thesauri sunt πολύχρηστοι in variis affectibus utiles. Efficacior spiritus ⊕li pars consistit in parte volatili, quæ phlegma præcedit, in præviâ ad albedinem calcinatione. Huic virtus inesse scribitur antepileptica, si per nonum pellatur alembicum. ♁ in spiritum resolvitur, quatenus ⊕li mineram habet adjunctam. *⊕li, ⊖, ♁.*

CLYSSUS ♄ii duplex est, minoris & majoris apparatus. MINORIS est iterum duplex: ♁tus constat ex ⏀, ♄, ♁. ♀tareus ex ⏀, ♄, ♀. In viscerum obstructionibus uterque facit officium. MAJORIS apparatus constat ⏀, ♄, ♀, silicibus calcinatis, a. ℔j. aquâ fontanâ irroratis. Parari potest unâ retortâ & recipiente vase, vel pluribus. *Clyssus.*

▽ seu spiritus aperiens ex ⊕lo, ♀, & silicibus calcinatis paratus nobiliores aperiendi vires obtinet, quàm ille, qui loco ♀ri crudi recipit ⊖ ♀ri. *Aqua aperiens.*

SAL LIQUIDUM VOLATILE SILVIANUM magnâ apud multos in veneratione se experientiæ scuto tueri censetur. *⊖ liquidum volatile.*

OLEA *plantarum* vires obtinent. Quomodo aqua elementalis fiat oleum in vegetabilibus, animalibus & ♁ribus, & omne oleum cum adjuncto facilè reducatur in aquam, quod *Olea plantarum,*

B docet

docet *Helmontius tractatu tria principia chimica inscripto, textu 49*, ventilatione dignum.

herbarum, RUTAE 🝆 liberalius prodit, semine cum folliculis tusis addito.

florum chamameli, *Olei florum chamameli* saphirinus color promovetur additione scobis lignorum pini & abietis, cum floribus facto S.S.S. vel adjecto ol. terebinthinæ. Sed undè color ille tam fugax, ita ut aliquot septimanarum spatio pereat?

rosarum, ROSARUM 🝆um ex solis floribus parcâ, ex toto, floribus, medio luteo, *αἶθος ῥόδων* quod dicitur, unguiculis, calyce, alabastris, qui *sunt quini fratres in eodem tempore nati,*

tres sunt barbati, duo sunt barbâ absque creati,
unus de quinis non est barbatus ubivis,

liberaliori manu communicatur oleum.

violarum, Ex VIOLARUM martialium purpurearum floribus oleum præparatum vidit *Rosenbergius in rhodologiâ.* Assumi potest integer flos, quem constituunt 1. *τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους, quod in flore purpurascit,* & flos simpliciter dicitur. 2. quinque florum folia cum purpureo apice succo subdulci pleno, & unguiculis. 3. *τὸ διανθὲς* alter flos luteus his insidens. 4. alabastriculi virides quinque superpondii loco retineri possunt. Ex flore simpliciter dicto difficilis præparatio.

caryophyllorum, OLEUM caryophyllorum adulterinum tale Italus parabat: ℞. *caryophyllorum tritorum q. v.* 🝆 *olivarum optimi q. s.* Digere. Exprime fortiter. Per inclinationem oleum separa. Adserva. Nonnulli pro vero oleo habuêrunt.

In Indiâ ex recentibus expressum insignis est virtutis.

Destillatum ex siccis in nostro solo, aqueo colore prodit, cum tempore eundem mutat.

Οἰνοστάγμα. VINI OLEUM; 🜈 communiter appellatum, mistum cum spiritu 🜔li dicitur aqua temperata: à salinis, ut cineribus exstillatus, dicitur ALCOOL.

LIBER IV,

de effectis & operibus chimicis mediis

mediis, quæ ambigunt inter liquida & solida, essentiis seu tincturis mollibus &c.

TINCTURAE nomen amabile, sed non omnium admittit amplexus. Umbræ sunt colorum, non virtutum. Nubes se venditant pro Junone. *Tinctura,*

Vegetabilium essentiæ menstruis aqueis fieri possunt, commodissimè oleoso, id est, spiritu vini. *Essentia,*

Essentia, sanguis seu ANIMA RIWAND TZINI medicamentum est multi usus. *rabed tzini,*

MUMIA AEGYPTIACA suspectæ est fidei, quantumvis odorem aromatum habeat. Vendaces Ægyptii aromatum appositione odorem, cùm exoptetur, ceu *κεςτήςιον* genuinum, dolosè conservant. Interim conditura ipsa est asphaltiaca. Cadaver ipsum morbosâ tabe consumtum & humido radicali spoliatum. A nostris cadaveribus violentâ morte peremtis nihil timendum. *Mumia,*

AMBRAE ESSENTIA & MOSCHI paratur 1. utplurimum conjunctim. 2. cum saccharo. 3. sine saccharo. 4. ex integrâ sine trituratione, vel contusâ parum, præcipuè cum extemporanea opera est præstanda. 5. Proportionis ingredientium hæc potest esse regula: *ambræ grisea* ʒſ, *moschi Alexandrini* ℈j, *liquoris* ℥iiij. 6. Solvens liquor non gaudet unitate, sed varius est. *ambra,*

Generale confortans est ambra. *In generali necessitate* universalis menstrui sustinere potest vicem 🜄 alcoolisatus.

Dirigentibus ad *certas destinatur* partes.

In *cerebri adfectibus* in genere.

℞. *ambræ grisea* ʒß, *moschi alexandrini* ℈j,
spiritus liliorum convall. ℥iiij.

In *cephalalgiâ* adfundatur spiritus rosarum.

In *vertigine* spiritus florum tiliæ.

In *apoplexiâ* spiritus rorismarini.

In *paralysi* essentia chamædryos.

In *epilepsiâ* spiritus cerasorum nigrorum.

 In

In *melancholiâ* & *maniâ* eſſentia anagallidis fl. phœniceo.
In *memoriæ debilitate* ſpiritus ſalviæ.
In *oculorum adfectibus* ſpiritus euphraſiæ.
In *cordis anxietatibus* elixir vitæ Matthioli.
In *ventriculi intemperie frigidâ* elixir proprietatis.
In *colicâ flatuoſâ* ſpiritus fœniculi.
In *uteri morbis* ſpiritus artemiſiæ.
In *luctâ ♀eâ ſuccumbentibus* ſpiritus ſatyrii vel magnanimitatis.
In *ſterilitate muliebri* ſpiritus meliſſæ.

7. Non opus eſt digeſtione longâ, vel adſervatione in fimo equino, aut ſigillatione Hermeticâ. Sufficit ſi vaſculum benè obturetur.

⊙, ☽, ESSENTIAE & tincturæ ⊙ & ☽, hactenus notæ parum habent in receſſu. Quæ à quibuſdam circumferuntur, aucupia ſunt crumenarum, non ſolamina miſeriarum.

♂, ESSENTIA ♂ cum ſucco pomorum redolentium vel etiam ⊕lo ♂ parata egregia eſt.

Tinctura anti-phthiſica, TINCTURA ex ingredientibus non coloratis, minio 🜊 ſoluto, ⊕lo ♂tis ſpiritu ⊕li ſoluto, & ſpiritu vini invicem permiſtis rubeola prodiens ANTIPHTHISICAE titulum defendere poteſt in phthiſi ἐν χέσῃ, quæ dependet à ſputo ſanguinis, & catarrhis tenuioribus ſalſis. Roborat etiam pulmones conſtringendo poros.

♄, ESSENTIA ♄ *Penoti de medicamentis chimicis* paratur ex ♄ii *pulveriſati parte* j. *olei terebinthinæ part.* iiij, digeſtis ſecundo ignis gradu vel coctis, donec rubrum acquirat colorem. Id fit brevi temporis ſpatio. Effunde menſtruum tinctum, & novum affunde. Tandem conjuncta menſtrua evoca leni igne. Quod remanet in fundo, ad vulnera, ulcera, deſtillationes frigidas in artus utile eſt exterius uſurpatum. Interius ad guttas x. colicæ, podagræ & morbo gallico medetur.

Balſama, BALSAMA, ELAEOSACCHARA ſimplicia & compoſita magni ſunt nominis & multi uſus.

Elæoſaccharum, COCHLEARIAE compoſitum elæoſaccharum genuinum procedit ex ſucco cochleariæ. Succus conſtituit corpus, oleum eſt anima: ſpiritus animam maritans corpori eſt ſaccharum multo-

multorum ben eficiorum autor. Loco ſucci cochleariæ qui ſuccum *ſpinæ cervinæ* ſeu *rhamni ſolutivi* aut *fol. tritici* noviter emergentium & rore madentium adſumunt, adulterinum venantur colorem & reſolubilitatem. Non tamen propterea floccipendendum eſt medicamentum. Vis mundificandi in utroque, & evacuandi in rhamni ſucco facit officium. Præterea confert ad gratiam. Diſſolvitur totum, & à vehiculo, cum quo adſumitur, abſorbetur, & per minima conjungitur.

GELATINAE recenter paratæ, albicantes, pellucidæ, cordialem virtutem habent. *Gelatinæ.*

ESSENTIA LAPIDIS NEPHRITICI fit commodè, ſi minutiſſimè pulveriſato affundatur ſpiritus 🜍, & digeratur. Decantato primo, novus additur, &c. *Nephritici lapidis eſſentia.*

LIBER V,
de effectis & operibus chimicis ſolidis.

SAlia alkalia cardui benedicti, fraxini, juniperi ex cineribus arte chimicâ parata non ſunt actu in plantis, ſed fiunt per generationem primi modi Ariſtotelicam *ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο, ἐκ μὴ ὄντος εἰς ὄν, ἐκ προϋπάρχοντος δυνάμει ὄντος εἰς ἐνεργείᾳ ὄν, ex alio in aliud, ex non ente in ens, ex præexiſtente potentiali ente in actu ens.* Entitas illa ſalium potentialis notat aptitudinem, quâ poſſunt fieri ſalia actu, ſimulque indicat privationem, nempe nondum eſſe adquiſitam hanc ſalium eſſentiam ſive actum, ſed eſſe adhuc acquirendum. Actualia ſalia fiunt demum, *ὅταν ἔχῃ τὸ ἐντελὲς ἢ ἐντελέχειαν, cum habitum & ſalinæ perfectionis poſſeſſionem jam acquiſiverunt.* Entitas potentialis formæ ſalis eſt eadem cum materiâ ſecundâ, quæ includit *δύναμιν potentiam,* ex quâ forma ſalium producitur. Quamvis forma harum plantarum pereat in calcinatione, non tamen omnium virium poſſeſſio evaneſcit. Σώζεται ſervatur aliquid de viribus. Ita ſal cardui benedicti diaphoreticam vim habere quis dubitat? *Salia alkalia.*

Salia alkalia fixa habent proprietatem ſaponariam & lixivioſam, reſolventem, quâ mundant inteſtina, ſordes & ſcorias in

pri-

mis meatibus movent, ac archeum expellentemque facultatem immemorem officii reddunt. Si verò penitioribus in latebris & recessibus adhæserint, adsumenda sunt salia volatilia.

Salia medicata à nonnullis dicuntur fungi vice decoctorum longorum illepidorum, ita quod hauriantur sine lepore & non sine corrugata fronte, dictorum.

Ad alvum subducendam in colico dolore satius est adsumere *gialapii* ℈j, quàm crystallorum & cremoris, vel etiam ♀ crudi ʒvj, vel viij.

An in præparatione cremoris & crystallorum ♀ri satius sit coquere ♀ integrum, quàm pulverisatum, & lixivio vel aquâ simplici ablutum, disquirendum.

Sal ♀ foliatum An sal ♀ri exaltetur, si cum calce vivâ misceatur, & iterum calcinetur?

In terræ ♀ri foliatæ præparatione, cùm post liberalem aceti affusionem bullis turgida materia sursum adscendit, nonnulli arbores, alii vitem cum uvis imaginatione concipiunt. TERRA fortè nominatur ob siccitatem, FOLIATA ob figuram, quâ lamellas à se invicem distantes æmulatur.

Ars chimica delectatur vicissitudinibus. Volatilia amat videre fixa, & fixa volatilia. Salis ♀ volatilis meminit *Helmontius lib. de febribus cap. 15. t. 26.* quo possint solvi corallia & perlæ. Salibus volatilibus animalium minerales spiritus norunt jucundo amputare alas spectaculo.

Qui sal volatile C. C album splendens habere desiderat, cùm in collo vitreo intermedio apparet tale sal, idem removeat, ne ab oleo obfuscetur.

Mortificatio ♂, Mortificationem ♂tis illustrat *Paracelsus libro de morte rerum naturalium* explicatione variorum modorum, redactionis autem in ⊕lum non meminit. Facilimus modus est per acidum ⊕li laticem. Dubium, an concretio hæc sit à ♂te an ⊕lo, ponderandum.

♀. ♀ mortificationum varios etiam proponit modos, & redactionem in ⊕lum. Perficitur illa illinitione laminarum cupri cum aquâ regis, ⊕, vel ✳ci. Tales etiam aquas parare docet & processum subjungit. Laminæ ♀ his aquis illinuntur aliquoties. Flos viridis leporino pede abstergitur. &c.

CAMPHO-

CAMPHORA vitreo vasi & leni igni exposita tota facessit in flores vitreo alembico excipiendos. *Camphora flores.*

ZZ. ♁ii quantumvis retortæ collum videatur obturare totum, in medio tamen relinquit meatulum exilem, aciculam vix transmittentem qui non clauditur, quantumvis intendatur ignis. Quidam censent eam esse ☿tum dulcem 🜍re seu tincturâ ♁ii impraegnatum. Ut ex 🜍 & ☿ vulgaris fit cinnabaris, ita ex 🜍re ♁ii & ☿to antimoniata. *Cinnabaris ♁.*

REGULUS ♂tis, ♁tus, ✳tus, re & nomine tâlis fit, ingredientium ad certam regulam mutatâ proportione. Repræsentat stellam non unam, sed plures. *Regulus compositus.*

LIBER VI,
de non entibus chimicis.

Quintæ essentiæ elementaris naturæ expertes in nullo repeririuntur regno. *Essentiæ quintæ.*

Nondum surrexêre Æsculapii novi, qui Hippolytum in frusta à suis equis discerptum, Virbiumque postea appellatum, ab inferis reducere, & destructo combustoque vegetabilium corpore, è fœcundis cineribus lepidam vegetabilis Phœnicis in lucem revocare & resuscitare norunt umbram, eo perfectionis in variis floribus modo, quem delineavit *Quercetanus*, & se vidisse *ait libello contra anonymum*, apud quendam medicum Cracoviensem cujus nomen ipsi exciderat. Suspecta dudum fuit & fides historiæ & nominis tanti medici oblivio. Rudia simulacra admitti possunt. In fundo vasorum vitreorum subsidere solent mucagines aquarum virides, albæ, aliter & aliter figuratæ. Nullum tamen dubium eas repræsentare posse varias res per microscopium, gramina, folia, flores, radices. Testatur *Hoockius* in MACULA SITUS in libri involucro, ope microscopii se distinctè observasse conglomeratam aliquam multitudinem florum, quorum aliqui clausi adhuc, aliqui aperti, stylo & caule quasi terræ cuidam innitebantur. Simile artificium occurrit in situ panis. *Ἀνάστασις vegetabilium.*

MERCURIUS vivus ex plantis eductus nullibi visus, nisi ☿ vel ☿ti vel cinnabaris suffragia adfuerint priùs sollicitata. *☿ plantarum.*

Ex

Sanguis expers ☿ii.

Ex HUMANO sanguine ☿curium eductum nulla ætas vidit.

Homunculus Paracelsicus.

HOMUNCULI beneficio spermatis virilis in cucurbitâ productio proponitur à *Paracelso libro 3. de vitâ longâ cap. 4. de perlis*, & *in fragmentis* ad *hunc librum cap. 4.* De eodem specialiùs agit *libro 1. de naturâ rerum*, qui inscribitur *de rerum naturalium generationibus*. Generationem rerum naturalium duplicem constituit: unam per naturam sine arte, alteram per artem alchimicam. Maximum vocat hoc arcanum, dudum tamen satyris, faunis, nymphis, quæ hoc modo generatæ fuêre, notum.

De hisce κτ̀ τ̀ ῥητὸν nemo benè sentire potest, etiamsi maximè velit. Ad meliorem sensum *Gerardus Dorneus libello dictionarium Paracelsi inscripto* omnia trahere conatur. Sed videtur nimium tribuere affectibus.

Aurum animale.

AURI animalis mentionem facit *dissertatio chimica de auro*. In humano genere nota coxa aurea Pythagoræ & dens aureus pueri Silesii: In volatilium genere gallina aurea. Sed fidem non merentur.

☿ metallorum & ♁ii cultrum Lacinianum nondum expertum est.

MERCURIUS metallorum & mineralium nondum vidit lucem.

ANTIMONII ☿curium taliter conficit *Johannes Rhenanus clavis & manuductio in libros Paracelsi inscripto libro*.

℞. ⊖ ♀ *in humido loco dissoluti* partes ij.

♁ *optimè pulverisati* part. j. Misce & in conchâ vitreâ calore tenui in massam exsicca, ut super vitreâ tabulâ teri queat.

Jam accipe ♀ *crudi*, ad hujus massæ pondus, tere cum illâ, & per ♉ aut descensum urge in aquam frigidam, & ℥iv. ex antimonii parte unâ prodibunt.

Non satis clara videtur descriptio. Facto periculo negocium non successit, neque fortè succedet, nisi alia ingredientia accesserint, ☿ vel ZZ, ♀ris & ☿ii soboles.

Transmutationes metallorum.

Transmutationum exempla à *Rhenano dissertatione pro chimia veritate* allata vano nituntur rumore.

Aurificina est callida meretrix: multos invitat, paucos admittit. Aurum, quod pollicetur aliis,
sibi captat prius.